



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Theologia Moralis**

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

**Busenbaum, Hermann**

**Coloniæ Agrippinæ, 1707**

Dubium I. An debeant impleri ex charitate.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42634**

Calendarium vetus ordinari presbyter alibi, dicitur  
l. 6. quando de Sacram. Ordinis. Denique de obli-  
gationibus advenarum, peregrinorum & vagorum,  
optimè habet *Delbene* de *Immun. Eccles.* toto cap.  
11. & 12.

690

## C A P U T III.

De modo, quo observanda sunt Præcepta.

## D U B I U M I.

*An debeant impleri ex Charitate.*

“**R** Esp. Possunt impleri sine charitate, nisi hanc in  
“ substantia includant; ut v. g. Præceptum di-  
“ lectionis Dei. Ratio, quia tantum præcipitur, sub-  
“ stantia actus inclusi in præcepto, v. g. ut honore-  
“ tur parens, non autem finis, aut modus præcepti, ut  
“ docet *S. Thom. 1. 2. q. 100. a. 10.* Interim certum est,  
“ requiri charitatem in operante, ut impletio præ-  
“ cepti sit meritoria, juxta illud, *1. Corinth. 13. Si*  
“ *linguis hominum loquar. S. Tho. Suar. Sanch. Unde*  
“ *resolvuntur sequentes Casus,*

“ I. Si quis jejuret, vel interfuit Sacro, ob vanam  
“ gloriam, vel etiam ut furetur, potest nihilominus  
“ implere præceptum, etiam per actum ex circum-  
“ stantiis peccaminosum; quia implet substantiam il-  
“ lius præcepti, licet peccet contra aliud, cui finis ille  
“ malus opponitur, ut docet *Sanch. 1. mor. c. 14.*  
“ *Laym. l. 1. t. 4. c. 4. n. 6. Lugo dis. 22. s. 2. n. 23.*

“ II. Simili ratione impletur votum, juramen-  
“ tum Deo factum, poenitentia Sacramentalis, licet  
“ actus ipse sit peccatum. *Idem ll. cc.*

## A D D E N D A.

691 **Q.** 114. *Quid tenuerint aliqui circa necessita-  
tem charitatis pro implendis præceptis, &  
quomodo*

quomodo sint confutandi. R. Bajus, Iansenius & alii docuerunt charitatem esse necessariam ad implenda omnia præcepta; item omnem actionem esse peccatum, quæ non fieret ex charitate, uti referemus & falsum esse ostendemus l. 2. n. 132.; Hic satis est notare, quod certum sit præcepta posse impleri absque Charitate, nam inter 79. propositiones Bajanæ à Pio V. Greg. XIII. & Urb. VIII. Damnatæ, est hæc 16., Non est vera legis obedientia, quæ fit sine charitate.

## DUBIUM II.

692

An ad impletionem præceptorum, requiratur intentio iis satisfaciendi.

R Esp. Quod non. Ita Sanch. Vasq. 1. 2. q. 100. c. a. 9. & alii communiter. Ratio est, quia lex tantum præcipit liberam operis externi executionem, v.g. auditionem Sacri, non autem, ut alio peculiari actu quis velit vel intendat præcepto satisfacere: sive, ut alii loquuntur, præcepta non obligant ad obedientiam formalem, hoc est, ut aliquid fiat, quia præcipitur; sed tantum ad materiale, sive ut fiat, quod præcipitur, vid. inf. lib. 3. tr. 3. c. 1. d. 3. Vnde resolvuntur sequentes Casus:

I. Qui alicujus præcepti immemor, illud implevit, v.g. ignorans esse diem festum, liberè tamen interfuit Sacro, is satisfecit: Neque, ut quidam volunt, necesse est, ut postea intelligens esse diem festum, velit tunc satisfacere per Missam auditam, quia implevit substantiam actus præcepti. S. Th. Henr. Fil. 5. c. 7. q. 7.

II. Is votum, juramentum & poenitentiam Sacramentalem verè implet, qui opera promissa vel injuncta exequitur, etsi non habeat intentionem implendi; modò tamen non applicet ea pro alia re.

B b 3

Ratio,